

Cum primum cœpi suppeditare studiosis bonos libros: id solum negocii fore mihi existimabam: ut optimi quique libri & Latini: & Græci exirent ex Neacademia nostra quæ emendatissimi: omnesque ad bonas literas: bonasque artes: cura: & ope nostra excitarentur: Verum longe aliter euenit. Tantæ molis erat Romanam condere linguam. Nam præter bella: quæ nescio quo infortunio eodem tempore cœperunt: quo ego hanc duram accepi prouinciam: atque in hunc usque diem perseuerant: ita ut literæ iam septennium cum armis quodammodo strenue pugnare uideant: quater iam in ædibus nostris ab operis: & stipendiariis in me conspiratum est: duce malorum omnium matre Auaritia: quos Deo adiuuante sic fregi: ut ualde omnes pœniteat suæ perfidiæ. Restabat: ut in Vrbe Lugduno libros nostros & mendose excuderent: & sub meo nomine publicarent: in quibus nec artificis nomen: nec locum, ubi nam impressi fuerint, esse uoluerunt: quo incautos emptores fallerent: ut & characterum similitudine: & enchiridii forma decepti: nostra cura Venetiis excusos putarent. Quamobrem ne ea res studiosis damno: mihi uero & damno: & dedecori foret: uolui hac mea epistola oēs: ne decipiantur, admonere: infra scriptis uidelicet signis. Sunt iam impressi Lugduni (quod scierim) characteribus simillimis nostris: Vergilius. Horatius. Iuuenalis cum Persio. Martialis. Lucanus. Catullus cum Tibullo: & Propertio. Terentius. In quibus oibus nec est impresso nomen: nec locus: in quo impressi: nec tēpus, quo absoluti fuerint. In nostris uero omnibus sic est: Venetiis in ædibus Aldi Ro. illo: uel illo tēpore. Item nulla in illis uisuntur insignia. In nostris est Delphinus anchoræ inuolutus: ut infra licet uidere. Præterea deterior in illis charta: & nescio quid graue olens. Characteres uero diligentius intuenti sapiunt: (ut sic dixerim) gallicitatem quandam. Grandiusculæ item sunt perquædeformes. Adde quod uocalibus cōsonantes non cōnectuntur: sed separatæ sunt. In nostris pleræque omnes inuicē connexas: manumque mentientes: operæpretium est uidere. Ad hæc hisce: quæ inibi uisuntur: in correctionibus: non esse meos, facile est cognoscere. Nam in Vergilio Lugduni impresso in fine Epistolii nostri ante Bucolicæ Tityrum, perperam impressum est: optimos quousque autores: pro optimos quosque. Et in fine librorum Aeneidos: in prima Epistolæ nostræ semipagina ad Studiosos extremo uersu male impressum est: maria omnie cirtm: pro maria omnia circum. ubi etiam nulli accentus obseruantur: cum ego eam epistolam propterea composuerim: ut ostenderem: quo nam modo apud nostros utendum sit accentuunculis. In Horatio: in mea Epistola: secundo uersu sic est excusum: Imprissis uergilianis operibus: pro impressis. Et tertio sic: Flaccum aggrssi: pro aggressi. Grandiusculæ præterea literæ ante primam Oden primo: & secundo uersu sunt impressorio atramento supra: & infra: quasi linea conclusæ pturpiter. In Iuuenale in mea Epistola: tertio uersu est pubilcamus: pro publicamus. Et decimo uersu: Ungues quæ suos: pro unguesque suos. Item in prima semipagina: Semper & assiduo ruptæ rectore: pro lectore. In eadem. Si uacat: & placidi rationem admittitis: eadem: pro edam. Et paulopost. Cum tenet uxorem: pro tener. Item inibi: Eigt aprum: pro figat. In Martiale statim in principio primæ semipaginæ est impressum literis grandiusculis sic A M P H I T E A T R V M: pro A M P H I T H E A T R V M. Et in eadem. Quæ tam se posita: pro seposita. Item in Libro secundo ad Seuerum deest græcum ἐλατοκωλικόν. Et in Candidum: ubique deest græcum: id est κρηνα φίλων πρίπτα. Et in fine: κρηνα φίλων. In Lucano nulla est epistola in principio: at in meo maxime. In fine Catulli eam: quæ in meo est: epistolam prætermiserunt. Quæ etiam possunt esse signa Lugduni: ne: an Venetiis mea cura impressi fuerint. Terentium etsi ego nondum curauim imprimendum: tamen Lugduni una cum cæteris sine cuiusquam nomine impressus est: Quod ideo factum est: ut emptores meum esse: & libri paritate: & characterum similitudine: existimantes: deciperentur. Sciunt enim quem nos in pristinam correctionē: seruatis etiam metris: restituendum curamus: in summa esse expectatione: & propterea suum edere accelerarunt: sperantes ante eum uenūdatumiri: quæ emittatur meus. Sed quæ illi emē datus exierit: uel hinc cognosci potest: quæ statim in principio sic est impressum: E P I T A P H I V M T E R E N T I I. pro Terentii. Item Bellica prædia fui: pro præda. Et: Hæc quonque leget: pro quicunque. Præterea in principio secundæ chartæ. Acta ludis Megalensibus. M. Fuluius ædilibus. & M. Glabrione. Q. Minutio Valerio curulibus: pro M. Glabrione. Qu. Minutio Valerio ædilibus curulibus. Quod etiam putates esse argumentū: impresserunt. A R G V M E N T V M A N D R I A E. Ante etiam Sororem falso est. T E R E N T I I A R G V M E N T V M. cū argumenta omnia Comœdiarū Terentii: non Terentius: sed Sulpitius Apollinaris cōposuerit. Sic enim in uetustissimis habetur codicibus. C. Sulpitii Apollinaris periocha. Metra etiam confusa sunt omnia. Versus enim primæ scenæ: quæ tota trimetris constat: sic tanquæ chaos in elementa: separati ab inuicem in suum locum sunt restituendi.

Si. Vos istæc intro auferte. abite. Sofia
Ades dum: paucis te uolo. So. Dictum puta.
Nempe: ut curentur recte hæc. Si. Immo aliud. So. quid est:
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius? &c.

Item secunda scena: cuius tres primi uersus sunt trimetri. Quartus tetrameter. Quintus dimeter: & cæteri omnes quadrati: sic esse debet.

Si. Non dubium est: quin uxorem nolit filius.
Ita Dauum modo timere sensu: ubi nuptias
Futuras esse audiuit. sed ipse exit foras.
Da. Mirabar hoc si sic abiret: & heri semper lenitas
Verebar quorsum euaderet.
Qui postquam audiuit non datumiri filio uxorem suo:
Nunquam cuiquam nostrum uerbum fecit: neque id ægre tulit.
Si. At nunc faciet: neque (ut opinor) sine tuo magno malo.
Da. Id uoluit: nos sic opinantes duci falso gaudio:
Sperantes iam amoto metu: interea oscitantes obprimi:
Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.
Astute. Si. Carnifex quæ loquit. D. Herus est: neque p uideram &c.

Qua in re quantus sit mihi labor: cogit: atque intellegunt. Certe plurimum die: noctuque elaboramus.

Hæc publicanda iussimus: ut quæ libellos enchiridii forma excusos emptoribus est: ne decipiatur: facile. n. cognoscet: Venetiis ne in ædibus nostris impressi fuerint: an Lugduni. Vale. Venetiis. xvi. Martii. M. D. III.

